Opuscula

DECISIO
MAGNI VALORIS
Virtutis, Sapientiæ & Meritorum,

Perillustris, Clarissimi & Admodum Reverendi DOMINI,

D. M. STEPHANI KROPSKI,

I. V. Licentiati & Professoris, Ecclesiarum Collegiatarum S. ANNÆ Crac: Præpositi, SS. OO. Primicerij, Parochialis in Czulice Curati, à Themide Iagellonica
post exploratum in sua bilance pondus

F O R M A T A,
Ex Actis Ejusdem

E X T R A C T A

Dum per

Perillustrem & Reverendissimum Dominum

D. M. IOANNEM LVKINI

I. V. Doctorem & Professorem, Ecclesiarum Cathedralis Cracoviensis Canonicum, Collegiatarum, Vislicienfis Primicerium, SS. OO. Crac: Cancellarium, Parochialis Sławkoviensis Præpositum, Contubernij Regio-Iagelloniani Provisorem, ac interea Iuridicæ Facultatis

D E C A N V M,

Vtriusq; Juris

D O C T O R,

Ritu Solenni renuntiaretur
Officiolo Studio
M. FRANCISCI KIELAROWICZ,
Philosophiæ Doctoris & Professoris, Collegæ Minoris
Eruditis mentibus ad notitiam

E X T R A D I T A.

Anno Domini 1733 9 Mensis Nov:

Sapientiæ magnitudinisq́ʒ animi est, omnem amplitudinem & dignitatem in virtute, in rebus gestis, atq́ʒ in gravitate positam existimare.

Cicero.

Ipsa quidem virtus pretium sibi, solaq́ʒ latè,
Fortunæ secura nitet, nec fascibus ullis
Erigitur, plausuve petit clarescere vulgi.
Nil opus externæ patiens, nil indiga laudis,
Divitijs animosa suîs.

Claudianus.

DECISIO
MAGNI VALORIS.

EA est excellentium rerum conditio, ut in sui pretio ab humana mente dependeant. *Perillustris Clarissime & Admodum Reverende Domine.* Multæ equidem ideo magis quàm merentur, multæ item minùs, quàm fas & æquum requirit, æstimantur; quòd his mortalium genius pondus demat, illis superaddat. Valeretne quæso tantum, quantum nunc valet, defossum à natura in terræ visceribus aurum? si ei tam ingens non accederet appretiatio, minimè: immo nec ad præsens æqualem ubique honorem sortitur; cùm apud Indos posthabeatur ferro. Thura Sabæis contempta, Septemtrioni acceptabilia: Cedrus Libani accolis, acsi in Lechia ilex, Lechiæ honorabile munus. Qui in vita ob inopiam despectui habitus Homerus, post fata Chios cum Colophonijs de

se Patriota habuit concertantes. Non probabat Roma initiò Lyrica Horatij ùt ipse testatur, sicut nec aliorum recentiorum Pòëtarum monumenta, veteres illi duntaxat Vates arridebant: ast postquam aliter judicandum censuit, ijsdem adusque gloriatur. Explosum primò cachinnis ausum Columbi, quod novum Orbem quærere attentaret; nunc quid de eo sentit utrumque hemisphærium? Pulchrum fuit apud Persas etiam deformi Regi esse similem: apud Discipulos Aristotelis, Magistrum gibbô imitari. Quibus medijs Quirinus, DEUS evasit? Augustus flamines & quæsitissimas hostias consecutus? Hercules inter astra fulsit? Atlas Cælum portavit? & sexcenta antiquitatis enituere portenta? Si non per apprehensionem humani intellectûs. Quantum decessit Phæbo, quod maculas in eo observârunt Astrologi? Quantum decedit Cælis, quod ingenerabilitatem & incorruptibilitatē eorum, nova quorundam refutent experimenta. Terrebat nautas Herculeis columnis inscriptum non plus ultra: quoties ad eas pervenit quispiam, ùt vidit, mox carbasa retro flexit: nam has metas præfixit authoritas stationis defessi Alcidæ. Viluissent Bonarotæ opera, nisi ignarum vulgus callido dolo ad verius sentimentum compulisset. Rem sub ænigmate loquor,

quor, clarior ejus hic eſt typus. Exſculpebat memoratum Gentis Florentinæ decus multiformes ſtatuas: hæ nec Praxitelis, nec Polycleti cedebant operibus, attamen ab Italo populo, quòd ſuîs temporibûs confectæ fuerunt, flocci pendebantur. Quid facit prudens Artifex? dedolat amoris effigiem in Pario marmore, dedolatam intempeſtâ nocte in ruris ſuburbani agro abſcondit. Latet damnatum ad tenebras ſimulacrum diu, donec agricola ſpargendis frugibus vomere agrum renovans reconditum artefactum invenerit. Illico defertur ad Vrbem Dominam repertum ſignum: revidet illud ſedulò ſpeculaturq; populus, laudat exactam fabrefaciendi amuſſim: priſcum hoc opus pleriq; judicant, ſuo judicio mox implicandi: alij tribuunt Praxiteli, alij Polycleto, alij alijs veteris ævi artificibus. Nec ſatis; inſultant præterea nõnulli Bonarotæ: ecce quàm pulchra figura inquiunt, quanta gratia vultui, quam ſimiles artus ficti artubus veris, quàm viva lineamenta faciei, vox tantùm & non vita deeſſe videtur. O felicem ætatem Avorum Atavorumve, quæ tam eximios parturiebat Statuarios! Exhibeteſne tu Bonarota tam eximium artis ſpecimen, præſtareſne parem induſtriam? Et jam gaudet ſola appretiari vetuſta opera vulgus, lætatur ſe triumphum agere de novis Bonarotæ conami-

 nibus:

nibus; cùm tamen ille inſcriptum ſtatuæ baſi proprium nomen oſtendit vulgo. Notat pudor convicta ora: vellent denuo adſtantes culpare quod laudabant, non datur jam emiſſas voces revocare. Verbô multum eſt multum unicuiq;, quôcunq; cenſeatur nomine, æſtimari. Hinc & mihi ultro porrigit ſe amplum gratulandi Tibi argumentum *Perilluſtris Clariſſime & Admodum Reverende DOMINE*, quòd Valorem Virtutis, Sapientiæ & Meritorum Tuorũ in bilance ſua explorando Iagellonica Themis, magnum compererit, judicaverit, declaraverit, & Actis ſuis inſcribi fecerit. Nec inania loquor, teſtes enim ſunt veritatis hujus, omnes quibus Acta prædictæ Aſtrææ legere conceſſum.

Dedit primò materiam Deciſioni valoris hujus ipſa Tua prætexta: cum creſcente enim ætate Tua, creſcebat virtus; cum matureſcente, matureſcebat. Patuit ex aurora, quàm clarus futurus erat provectioris ævi meridies. Ex diſcente facilè conijciebat quiſq; quòd celebrem quandoq; acturus eras Profeſſorem. Tractâſti Studia indefeſſus eô ſæculô, quod adhuc non tam argutum extitit, ùt modernum, ſed felicius forſitan eô ipsô & doctius. Certè (venia mihi detur in libero veri ſtudio; ſentit nãq; idem mecum celebris Neotericus) non laudandum, hujus temporis genium, iſtud ſuum

vitium pridem antè damnatum non agnoſcere, quòd ſtylum nimis comat, exornet, & gravitatē relinquat. Equidem compertum habeo, non ſemper id pretioſum, quod ſplendet: nec mihi evidens tantum ornatum neceſſarium eſſe. Horrida & torva ſpecies leoni: variegati maculîs aſpectuiq; gratiores pantheræ & tygridi pili: attamen leo rex ferarum, non tygris aut panthera. Æmulatur vitrum gemmas & adamantes, quandoq; & ſuperat, nihilominus eisdem non præferendum. Placent in Comædijs veſtes Actoris Comici: num tamen quilibet, cui complacent, hîſce ſuperbire vellet? Simile judicium ferri debere cenſeo de coacervatis argutijs labentis ævi. Tractâſti inquam ſtudia, ſed non ſtudentium plerorumq; vitia. Sæpe enim accidit, ut juvenes non ſolùm ſcientias, verùm & nævos & quidem promptiùs à ſe ipſis diſcāt: Grammaticos caſus declinando, à probitate declinent: fingendo Pòëticas fabulas, veritatem & alibi prætereant: Rhetoricam Licentiam ad hoc etiam extendant quòd idem eſſe libitum & licitum prætendāt. Trāſnavigâſti has ſcyllas & charybdes juventutis, atq; feliciter ad littus Laureati in Vniverſitate honoris appuliſti. Appenſa frōti laurea, umbram in ingenium ſocordiæ non jecit, immo illuſtri animo temperamentū quod-

dam imposuit; ut commodiùs ab hac umbra, in dissita difficultatum spatia prospiceret.

Atq; ut melius allaborares Academiæ bono, in Colonia Posnaniensi infatigabilē egisti Chironē: gnarus benè, qvòd per molle non incedit iter virtus, læta asperîs: fortitudo non calcat rosarum semitam, vepres illam & probant & stimulant. In illa itaque Majoricæ Polonæ Stoa, ad suprema solia natam indolem ita in lubrico adolescentiæ manutenuisti, ut illius in omni quæ hæreditaria huic sangvini virtute ad summa quæq; disponeres gressum. Quisq; juvenum Te Duce amplecti literas, ire alacrî animô contra omnium difficultatum Scholasticarum ardua, & expugnatâ profligatâq; inscitiâ promereri gloriam conabatur. Taceo eruditionis profectum, publicâ famâ in conspectu Reipublicæ Sarmaticæ perorante. Quòd Ecclesia habeat Magnum Prælatum, *Perillustrem & Reverendissimum Dominum* ALEXANDRVM de Bnin OPALINSKI Custodem Cathedralem Posnaniensem, Ordo verò Equestris Germanum Ejus, dotibûs præcelsis insignem Heròém *Illustrem ac Magnificum D.* CAROLVM Capitaneidam Sremensem, tua sollicita effecit institutio. Tenet nunc portum Honoris Gentilitia illorum RATIS: nam Te suum Navarchum habuit. Hinc

ea-

eadem in Te, quæ in Arſenium ab Honorio & Arcadio, à Grandibus alumnis derivatur adorea. Quid illæ floridô vernantes eloquiô DIVORVM THOMÆ AQVINATIS & PHILIPPI NERII Panegyres? qvas diſertiſſimâ ſvadâ cultior Tullius, immo Oratorum coronis protuliſti. Vniverſus omnium Tuam facundiam auſcultantium aſſenſus fuit, Hyblam Platonis, roſaſve Hortenſij, in tuum eloquium commigrâſſe. Voluit Te perpetuo cultu proſequi ob tantos labores in illa Colonia Academica exantlatos Major Polonia, niſi deſideratus ad Matrem Studiorum reditus aliud in animo Tuo decreviſſet.

Perfuſam lætitiâ ex Tuo feliciſſimo regreſſu Vniverſitatem ulterioribûs actîs ſolari minimè deſtitiſti. Et ſicut in Poſnanienſi Lycæo Iſocratem, ita in Lectorijs Athenæi Cracij Ariſtotelem redivivum præteferre propoſuiſti. Quoties difficultates Philoſophicas ſolvebas, toties in directo virtutis modo concludens, in explicando facillimus, in docendo promptiſſimus, in enodando ſubtiliſſimus audiebaris.

Prodromantibus meritis MINORI Collegarum DOMVI aggregatus, inquilinam Tibi feciſti Pietatem & ſcientiam. Occupatio Tua præcipua erat oculos objectis ſcientiarum ſatiare, mente eruditos conceptus parturire, corde

elevari ad Superos, manum ad pennam continuò aptare, vitam denique ſemper agere in motu laboris ad otia invitam. Cumq; nemini in ſtatione Academica MINOR COLLEGA palmam cederes, ceſſit Tibi DECANALIS PVRPVRA, in qua roſas & lilia loquens ſic rubuiſti, ut nunquam erubueris. Dum tela argumentorum vibrabas, corda Auditorum in ſpolium reportabas. Thomiſticus Titan in tuo pectore fixum videbatur habere ſitum. Nullô tamen argumentandi modô ſæpiùs utebaris, quam Celarent, eruditionis videlicet ſplendorem nube modeſtiæ tegendo. Loquantur ſi per naturam poſſunt Lectoriorum parietes, in quibus vocalis ſtudij Academici Fama à Tui oris deprompta oraculo volitabat.

Cùm tantos in fronte Tua conſpexiſſet ſudores Vniverſitas, ſimulq; deprehendiſſet in Tuæ cultiſſimæ mentis ſecretiori archivo divitem jurisprudentiæ apparatum, coronatura labores ejusmodi, *CLARISSIMORVM IVRISCONSVLTORVM* Coronæ Te pretiîs internîs luceq; ſapientiæ nitentem inſeruit gemmam. Ga viſa multùm Aſtræa Divinior, quòd magnum ſcientiæ ſuæ Cultorem acquiſierit. Ius Divinum & Humanum cum panderes, ipſæ applaudebant PANDECTÆ. In DIGESTIS difficultates di-

gerens

gerens aureus omnigenarum legum Tripos censebaris. Quod in eruditis Athenæi docuisti exedris, hoc in publicis commissionum negotijs observavisti inviolatè. Quoniam verò inter similia facilè coalescere sympathiam fermè videmus ad oculum, ideo & Te Collegij Iuridici Numina ad strictius amicitiæ vinculum attraxerunt. Ex multis duo memorâsse sufficiat, *Perillustrem olim Clarissimum & Admodum Reverendum Dominum*, M. ADALBERTVM IODŁOWSKI, V. I. Doctorem & Professorem, Ecclesiæ Collegiatæ SS. OO. Crac: Custodem, Parochialis in Igołomia Curatum &c. ac *Perillustrem olim Clarissimum & Admodum Reverendum Dominum*, M. IOANNEM EKART, V. I. Doctorem & Professorem, Ecclesiæ Collegiatæ SS. OO. Crac: Cancellarium, Parochialis in Luborzyca Curatum, Vniversitatis Seniorem Patrem: Qui ut suum erga Te amorem testarentur, Te testamentorum Executorem elegerunt.

Varijs quà publicè quà privatim in Collegio Iuridico functus officijs, COLONIÆ POSNANIENSIS, quam Professor excolueras, DIRECTORALE REGIMEN, votis Ordinum Academicorum obsequens suscepisti. Illi sparthæ ut præesses accinctus, quantum profuisti vigili pru-

dentiq; moderamine, felici dexteritate agendi, difficile enarrare. Quòd desolatam per ventorum furorem præfatam Palæstram liberalì dexterâ sublevavit *ILLVSTRISSIMVS olim EXCELLENTISSIMVS & REVERENDISSIMVS* D. IOANNES *COMES IN CZEKARZOWICE* TARŁO, *EPISCOPVS POSNANIENSIS*, cui obsecro? si non Tuæ activitati, quâ Tanti Præsulis devinxeras Benevolentiam, adscribendum. Quodsi notabilis censetur laus, os populi meruisse, de affectu in Te PROCERVM REGNI stante Directoratu effuso quid dicendum? Copiosam messem gratiarum ex Campo *ILLVSTRISSIMI & EXCELLENTISSIMI D. VLADISLAI* de Radomicko RADOMICKI, PALATINI POSNANIENSIS collegisti.

Pares Charites in *ILLVSTRISSIMIS* olim ac *EXCELLENTISSIMIS DOMINIS ANDREA* & *MATTHIA RADOMICCIIS PALATINIS* POSNANIENSIB9 *VLADISLAI* Fratris in Honore Palatinali Antecessoribus reperisti. Quæ acroamata, in Solenni Ingressu *GENERALIS PRÆFECTVRÆ*, à Majori Polonia formabantur *ILLVSTRISSIMO* olim ac *EXCELLENTISSIMO D. IOANNI RADOMICKI*,

PALA-

PALATINO INOVLADISLAVI-
ENSI, eadem Tibi hunc Dynastam in Cathedra
Posnaniensi salutanti atque Conclusiones Theo-
logicas, à Patribus Ordinis Prædicatorum Illius
Nomini dicatas oppugnanti, maximas acclama-
tiones conciliârunt. *ILLVSTRISSIMVS*
olim & *EXCELLENTISSIMVS DOMI-*
NVS ADALBERTVS RYDZYNSKI
CASTELLANVS LANDENSIS
Avitis Te *LILIIS* coronavit. *ILLV-*
STRISSIMVS ac *MAGNIFICVS D.*
MELCHIOR de Gorowo *GVRO-*
WSKI, VEXILLIFER CALISSIEN-
SIS, Legationibus ad Regni Comitia, Gro-
dnensia, Varsaviensia; Commissorialibûs fun-
ctionibûs in DEPOSITIONE
CORONARVM Cracoviæ & in plurimis
alijs arduis Reipublicæ negotijs, per omnes Pro-
vincias Lechicas Celeberrimus, postquam ex Te
ubiq; Athenas Gracias circumferente, excellen-
tiam earum intellexit, Prolem suam Dilectissi-
mam, *Illustres ac Magnificos Dominos*, Ra-
PHAELEM Capitaneum Colensem, *VLA-*
DISLAVM Capitaneum Brdoviensem & A-
LEXANDRVM ad PRIMÆVVM STVDI-
VM, totius Eruditionis Sarmaticæ Parentē able-

D gatur

gaturũ se declaravit, & ipso eventu comprobavit

Iste ex compositione morum de TE sensus: ob peritiam verò Iuris os suum in TVA encomia aperuit *JLLVSTRISSIMVS* olim & *REVERENDISSIMVS DOMINVS FRANCISCVS* in Kaznow *KAZNOWSKI, EPISCOPVS DOMITIOPOLITANVS, SVFFRAGANEVS, VICARIVS* in Spiritualibus & *OFFICIALIS GENERALIS POSNANIENSIS*, totius Diæcesis binîs vicibus *ADMINISTRATOR*, Pretiosum Sapientiæ & Probitatis Clenodium, Ecclesiæ Tyaratum Columen, aperuit inquam, loco inter Assessores Consistorialis Iudicij assignato. Prætereo teneritudinem favoris, *Perillustris olim & Reverendissimi Domini* STANISLAI KIERSKI, Ecclesiæ Cathedralis Posnaniensis DECANI, Protonotarij Apostolici, totiusq; Peraugusti CAPITVLI *POSNANIENSIS*, erga TVAM Personam emedullatam; & alia plurima in illo *DIRECTORATV* Nominis TVI famæ militantia: hæc namque exprimere, idem co namen, ac Parallelas in Angulum jungere velle.

Lassa

Lassatum laboribus in Colonia Posnaniensi, & reducem ad Palladem Iagelloniam, putâsset quispiam Te jam jam quieturum, sicut fatigatis licebat viribus: nisi reassumpti præter Scholasticos in Ecclesiasticis suggestibus publici actus aliter ostendissent. Perorâsti Ecclesiastes, sed simul & fulminâsti in vitia, nunquam sinè tempestate lacrymarum, quas gravitate sermonis & affectuum oculîs Auditorum exprimebas. Cerussam dictionis illam vel maximè admisisti, quæ animam per Gratiam candidissimam redderet. Acumina illa curâsti potissimùm, quæ compunctionem cordis, non jactantiam aut fastum saperent. Sacramentalem Exomologesim, sicut ante abscessum Posnaniam, ita post regressum *RELIGIOSIS SANCTIMONIALIBVS* ad *SANCTVM ANDREAM*, insignî Prudentiâ Spiritûs & indefessô fatigiô administrando, *OPATOVIVM* æmularis: ex quo quàm gratus fuisti & sis Virgineis Conscientijs, satis patuit, dum reditum Tuum ex Colonia Posnaniensi tædiosissimè exspectârunt, & omnem pro illo obtinendo moverunt lapidem: eòque deventum, ut *RELIGIOSISSIMA* in *CHRISTO FRANCISCA WIELOPOLSKA*, Ordinis SANCTÆ CLARÆ

in Conventu Cracovienſi per *ILLVSTRISSIMVM* olim & *EXCELLENTISSIMVM* DOMINVM, FRANCISCVM, Comitem in Zywiec & Pieskowa Skała de *WIELOPOLSCIIS* MYSZKOWSKI, PALATINVM CRACOVIENSEM MARCHIONEM PINCZOVIENSEM Revocationem Tui ab Vniverſitate expoſceret. Quidni itaque acquieſcere debeas DECISIONI THEMIDIS, quam de Valore Meritorum Tuorum pronuntiavit.

Approbat illam & à cunctis approbari gaudet *Magnificus Perilluſtris & Reverendiſſimus Dominus*, D. M. MARTINVS WALESZYNSKI, Sacræ Theologiæ Doctor & Profeſſor, Collegij Majoris Senior Pater, Eccleſiarum; Cathedralis Cracovienſis CANONICVS, Montis S. Georgij in Scepuſio & Premykovienſis Præpoſitus, Contubernij Hieroſolymitani Proviſor, Canonizationis B. IOANNIS CANTII Procurator, Librorum per Diæceſim Cracovienſem Ordinarius Cenſor, Studij Generalis Vniverſitatis Crac: PROCANCELLARIVS ac VIGILANTISSIMVS RE-

CTor

CTOR, Cujus ſtupenda Acta, duodecies reaſſumptum RECTORATVM, & ILLVM, quem toto triennio non interrupto continuavit ſæcula poſthuma Orbis Literarij notabunt, prædicabunt. Subſcribit eidem Deciſioni Aſtrææ, *Perilluſtris Clariſſimus & Admodũ Reverendus Dominus*, D.M. GASPAR TOPINSKI, V. I. Doctor & Profeſſor, Eccleſiar: Collegiatæ Sanctorum Omnium Cracoviæ CVSTOS, Parochialis Sancti *NICOLAI* Præpoſitus, Grandævus in Profeſſione Academica Pater & Iuridicæ Facultatis Decus, qui Te intimâ complectitur benevolentiâ. Addit proprium aſſenſum *Perilluſtris Clariſſimus & Admodum Reverendus Dominus, D. M. STANISLAVS KVTLINOWSKI*, Vtriuſq; Iuris Licentiatus & Profeſſor, Eccleſiarum, Collegiatæ *S. MICHAELIS* in Arce Cracovienſi *DECANVS*, Parochialis Kocaniuſzenſis *PRÆPOSITVS*, quem uti in capeſſendo ad præſens DOCTORALIA INSIGNIA, ſic quôvis momento in reciprocando affectum individuum ſocium experiris.

Ergo plaudimus cuncti juremerito, ob impoſitam Capiti Tuo emeritiſſimo Doctoralem in Iure Lauream, atque Deciſionem Valoris

Meritorum Tuorum in Areopago Themidis publicatam, ubi tanta celebritas Rectefactorum Tuorum ubique resonat. Plausibus concordes jungimus votorum appendicem, ut *LAVRO* huic, quâ *TVA TEMPORA, ÆSTIMATOR INGENIORVM*, Ipse nunquam condignè æstimandus, *VIRTVTIS CORONATOR*, Ipse *CORONARVM VAVELLANARVM VNIO PRETIOSISSIMVS* cingit, serò, taxus succedat & *HONOREM* præsentem non interpolatâ serie, alij Honores maximi comitentur.

